

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**FREQVENTI MYSTARVM SERMOCINATIONE  
EGREGIO SANITATIS  
PRAESIDIO.**

*Quam*  
AUSPICE DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſe Facultatis Medicae*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON-  
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.  
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,

*Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,*  
**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE-  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORS LOCOQUE CONSVETIS,  
ANNO MDCCXXXIII. D. OCTOBR.

PUBLICAE AC PLACIDAE ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET  
AVCTOR

**JOH. THEOPHILUS HILDEBRAND,**  
NIMICENSIS SILESIUS.

**HALÆ MAGDEBURGICÆ,**  
TYPIS JOH. CHRIST HENDELII, ACAD. TYPOGR.



7

PL. TIT.  
REVERENDIS  
PATRIÆ MYSTIS  
IIS

INPRIMIS  
QVI  
SINGULARI AMORE DUCTI  
PRO SALUTE  
ET FELICI STUDIORUM SUCCESSU  
SUPPLICES AD DEUM PRECES  
PER TRIENNIUM ET QVOD EXCURRIT  
PUBLICE FUNDERE  
NEC MERENTI  
BENE CUPERE NON DESTITERUNT.

UT ET  
VIRO  
PLURIMUM REVERENDO  
JOHANNI CHRISTIANO  
HILDEBRANDO,

ECCLESIAE LONGO - OLSNENSIS  
PASTORI MERITISSIMO  
PATRI MEO LECTISSIMO  
AD CINERES USQVE VENERANDO  
HOC QVIDQVID EST OPUSCULI

TOT BENEFICIORUM MEMOR  
IN GRATI ANIMI TESSERAM  
DICAT DEDICATQVE  
AUCTOR



Q. D. B. V.

## PROOEMIUM.



Sicuti in genere omnium, quæcunque in universa rerum natura deprehenduntur, actionum, effectuum, mutationumque inexhaustus fons ac princeps causa *Motus* est: ita etiam in microcosmo, ne ullam quidem Oeconomix vitalis functionem celebrari videas, quæ non motu perficiatur, atque ab eo proxime pendeat; adeo, ut omnes hæ actiones per motum unice administrantur & nonnisi motus determinatæ Species sint. Cordis, arteriarum motus reciprocus, & qui inde necessario fluit, motus & progressivus & intestinus humorum, ita ferme in constituenda & conservanda non vitæ minus, quam sanitatis nostræ integritate, utramque faciunt paginam, ut hoc cessante, omnes illius simul & semel interumpantur functiones, actionesque in homine, quibus

bus vitæ præsentia, licet non ipsa vita, quoad formalitatem, utpote, quæ aliam pro sua agnoscit altiorē causam, diiudicatur. Eiusdem census sunt multi alii in corpore humano vivo motus obvii; fibrarum nimirum motus tonicus, in fluidis motus progressivus, expansivus; motus tremulus seu vibrativus in ipsis nervis & nervosis membranis, qui audit oscillatorius. Ast omnibus his in medium prolatis, aliud adhuc superest motus genus, quod a medicis *motus corporis voluntarius* salutatur, quem pariter, quanta, & quam pereximia œconomix vitali adferat auxilia, non perspicere, esset sane idem, non videre velle, quod ante pedes est. Qui enim innumeros, ex quibus Corpus, si ossa exceperis, mere constructum musculos; inque eorum interstitiis multa vaforum millia; varii generis, & sanguiferorum, & lymphaticorum; tum majorum quam longe minimorum incredibili reptatu, & multifaria ramificatione percurrentia; multa quoque ipsos perforantia musculos, ad interiora viscera suas dimittendo propagines; plurima denique in ipsam hujus vel illius musculi substantiam esse distributa, usque dum scrutantium oculis demum evanescant, penitus consideraverit: non potest non, quin omnem illius sanguinis copiam, qui tot continetur vasculis systemati intertextis, progressivo motu & circuitu mirifice promoveri, adjuvari, & secundari credat; idque tanto magis, ubi per frequentes susceptos labores, perque crebrius, vel universi corporis, vel quorundam saltim membrorum locomotivum exerci-

exercitium, multi simul musculi, hujus illiusve partis in motum cientur, constringunturque: Quo actu interceptis vasis arctius compressis, contenti humores majori nisu impulsu, citatiori cursu, ulterius in ultimas progrediuntur vasculorum extremitates, quibus a statu compressorio musculorum iterum laxatis, nova a tergo venientis sanguinis fit admissio. Hic reciprocus motus jugiter ita administratus, quid efficit aliud, quam, ut auctior, liberiorque sanguinis circulus, nec non intimior per motum intestinum attritus, attenuatio, mixtio & resolutio contingat, quam denique presso pede non potest non excipere sufflaminatae antea transpirationis intensio, quam non modo per universale illud subcuraneum periphericae corporis sphaerae colorium, sed etiam per plura alia organa secretoria ob crebriorem sanguinis ad haec adpulsum a circulatione auctiori reddita, mira sordium copia detergitur, minorum vasculorum obstipationes & infarctus referantur, robur partium solidarum collapsum erigitur, ciborum appetitus excitatur, vegetusque & naturalis vigor tam corpori, quam animo conciliatur. Quis ideo non intelligit, sapienti & maxime laudabili instituto veteres, quod literarum monumenta nobis prodiderunt solertissimo studio corporis exercitium urfisse, magnique semper fecisse, adeo quidem, ut etiam publice artem introduxerint gymnasticam, eum potissimum in finem, ut per varii generis exercitia, bonum corporis habitum, una cum firmo & valido partium solidarum robore acquirant, sanitasque integra facta

rectaque conservetur. Et græcis ejusmodi artes or-  
 lim fuisse familiares, testatur ipse *Hippocrates*, a *Galeno*  
 vero deinde rursus revocatas esse ex Lib: 17. de tu-  
 enda sanitate colligere possumus. A Romanis quo-  
 que fuisse exculas *Hieronymus Mercurialis* peculiari  
 explicat volumine, Iro & veteres philosophi, licet  
 defacatori Physicæ notitia destituti fuerint, hanc  
 tamen veritatem pertransennam quasi introspecie-  
 bant, & quantum in motu & corporis exercitio ad  
 tuendam sanitatem positum sit, quamque stabile  
 præsidium, probè agnoverunt. Quorum ex nume-  
 ro, unius *Platonis* sententia in *Timæo* adduxisse suf-  
 ficiat, qui *Exercitium* inquit, roborat, *Quies* vero con-  
 zalescit. Multo autem magis recentiores Viri fama  
 ac meritis celebres ut *Stablius*, *PRÆSES*, *Junckerus* &c.  
 incomparabilero hujus medicaminis in motu lati-  
 tantis præstantiam, non evidenter solum, in suis ex-  
 planarunt scriptis, sed data quoque occasione admo-  
 dum commendarunt, ita, ut in longe plurimis va-  
 lerudinariis, motu corporis impigre instituto, egre-  
 giam sanitati accessionem fieri, pertinacissimos, ma-  
 ximeque rebelles morbos, eodem simplici, attamen  
 universali ferme remedio, percurari videas. Hæc  
 sanitatis fulcimenta, uti de motu valent volunta-  
 rio in genere, ita idem de singulis ejus speciebus,  
 quas inter non ultimum locum occupat, frequens &  
*continuarum Vocis Exercitium*. Hoc, ut tanto clarius  
 dilucescat, speciminis inauguralis loco ventitare de-  
 crevi animo, & quid ex hoc frequentiori fermo-  
 cinationis usu, in tuenda sanitate emolumenti re-  
 dundet.



dandet. Faxit summum in Coelis Numen, ut hunc laborem feliciter & in multorum hominum utilitatem suscipiam.

§. I.

**Q**Uum verba nihil sint, nisi signa cogitationum, ex quibus alius easdem intelligere valet; hinc ante omnia, si intelligi omnino velim, cum singulo verbo, qualem notionem combinem, edicendum est. Sub *Frequenti* igitur *mystarum Sermocinatione*, non intellectam cupio, quamlibet sermocinationem inter privatos parietes susceptam, aut non diu durantem, vel brevius abruptam, neque sermocinationem scholarum, sed positive, & specialiter nobis in mente versatur, ista Concinatorum sermocinatio publica, e suggestibus non solum publicis, sed etiam in solemnitatibus funebribus in cæmeteriis, & per aliquot horæ quadrantes voce elata & continuata instituta. Per *Sanitatem* vero illum indigito statum in homine, ubi corporis nostri structura integra & illæsa, viriumque sufficienti præsentia motus vitales, ita accurate & convenienter celebrantur, ut omnes reliquæ functiones naturales & animales, earundemque effectus & intentiones rite decurrant; nullusque inde dolor, aut ingrata Sensatio, sed animi potius alacritas & vigor percipiatur: Adeoque *Præsidium Sanitatis*, omne id erit dicendum, quod causas illas tollit, quæ impedire possunt, quo minus hæc omnia legitime & proportionate administrantur i. e. a morbis præservet, vsl effective, quantumcun-  
que

que confert, e. gr. sanguis in debita sua conservetur fluiditate, atque a spissitudine, multorum morborum matre, vindicetur; facilis & legitima concoctio, cum bono & constanti adpetitu rite succedat; prompta sanguificatio purpurei hujus laticis, necessaria attenuatio, commixtio, resolutio, impuratum e corpore eliminandum tempestiva absterfio; utilium & proficuum humorum non interrupta secretio; animi denique vigor & alacritas ad subeundas voluntarias actiones subsequatur, morbi autem non minus præcaveantur, quam percurantur. Recensiti hi equidem effectus ac phænomena tam arctissimo & indissolubili nexu conspirant, ut quicquid unum vel alterum prædictorum effectuum adjuvat, atque promovet, id reliquis omnibus, adeoque universæ sanitatis negotio saluberrimo sit adjumento: Illud autem, quod non solum unum aut alterum horum effectuum, sed longe plurimos producit, atque secundat in plurimisque morbis, aut prævenit, aut medetur, id sane jure optimo *egregium Sanitatis præsidium* salutatur; quod ipsium, si in frequenti mystarum fermocinatione demonstravero, themati satis puto erit factum.

§. II.

Evolutis hæc terminis & notionibus thematis, jam dispiciendum, qua ratione *Frequens* fermocinationis exercitium Sanitatis esse queat præsidium? Quod, ut eo prosequar feliciter in Sermonis prius naturam ac indolem inquiram; quibus organis ejus formalitas impetretur, qualesque effectus, in sanitatem redundantes, exerat. Hac in vocis & loquelæ formalitate perpendenda, potior utique est habendus respectus, causæ, vocem efficientis.

Hæc

Hæc sine ulla dubitatione omnium philosophorum consensu est *Anima rationalis*, id excogitans, quod sermone profertur. Sunt enim ratio & loquela illustra duo nobilitatis nostræ argumenta, & præ reliquis animalibus, præstantiæ longe eminentioris documenta, quorum utrumque alterius gratia, & in mutuum commercium, a benignissimo & sapientissimo omnium rerum conditore datum nobis, donatumque est, ut post DEUM IMMORTALEM propriam nostram nobilitatem, & ratione cognoscere, & oratione in ejus gloriam concelebrare, aliasque multas veritates nostram felicitatem promoventes, & ratione perspicere & sermone aliis communicare queamus. Ecquis unquam rationalia more solito ac ordine communi humano fuit eloquutus, antequam ista cogitaverit? unanimes etiam adferitur consensu, animam nostram rationalem, principium esse rationis, siquidem hæc ipsa ceu incorporea, actum talem simpliciter exercere, ideasque puras ad rationis actum absolute necessarias formare valet. Ex quibus igitur immota fuit consequentia, sermonis causam efficientem, & primum principium esse illam *animam nostram rationalem*.

§ III.

Causa vero primaria physica instrumentalis est *Aer*, sufficienti copia per glottidem in pulmones inspiratus, per causas vero thoracem arctantes, expiratione, in asperam arteriam, inde in glottidem expulsum; ubi arctata via celerius motus, huic elastico tremulo corpori ex cartilaginibus arytenoideis formata, singulis organis extralaryngem positis, aditus, in transitu vero & reflexu

B

diver-

diversimodè mutatus, istam soni speciem refert, *vocis* nomine insignitam. Hinc nemo non animadvertit, nec de sermone simpliciter, neque de sermone cum sanitate consensu ideam hauriri distinctam nequaquam posse, nisi accurate antea exposito, intellectoque respirationis, quæ hic omne punctum fert, negotio. Sicuti autem hæc ipsa duobus potissimum momentis absolvitur, aeris nimirum nos ambientis intra pulmones receptione, atque adductione, ejusdemque post aliquam receptionem successiva emissione: ita priori actui thoracis pulmones includentis, dilatatio & amplificatio; posteriori autem ejusdem mox insequuta contractio respondet. Utraque actio, peculiaria sua multiplicia artificiosissime constructa habet organa, ita, ut quo frequentius in vita reciprocus iste motus observatur, eo magis admiranda & adoranda summi numinis tum sapientia venit, qua hanc structuram, tam apte, atque concinne coordinavit, tum ejus munificentia, qua animæ nostræ hancce indidit facultatem, hoc artificium, in fruendo sibi corpore imitandi.

§. IV.

Organa igitur seu Instrumenta, quibus *vocis*, & quam hæc pro fundamento habet, respirationis processus absolvitur, sunt vel aerem adducuntia, vel thoracis cavum dilatantia. Hic primo in censum veniunt, *musculi quadraginta quatuor intercostales interni*, sese in vicem decursu suo secantes, *musculi deinde supercostales Verheyeni breves* utrinque duodecim, & *longi tres* vel quatuor. *Musculus porro subclavius*, ab inferiori claviculæ parte prope processum acromion procedens, prior.

priori costæ prope sternum inferendus. Si igitur enumerati musculi simul agant, & contrahantur, elevantur costæ novem superiores, atque excepta prima sursum, extrorsumque vertuntur, imprimis in summa earum media arcuatione, deprimunt paululum segmenta cartilaginea, ut ut valde renitentia, atque ita amplitudo thoracis augetur satis notabiliter, quod & visus & mensuratio cum filo instituta optime designat! Atque hæc omnia sub simplici & solitaria respiratione fieri observantur: Quod si namque loquela simul cum ea juncta fuerit, vel respiratio solito fortior, profundiorque esse debeat; alius adhuc instrumentorum, qui his actibus satisfaciatur, requiritur adparatus. Velificatur partim his, musculi *scaleni*, qui costas superiores tres interveniente aliorum musculi *serrati*, tam *postici superiores*, quam majores antiqui, costas extrorsum moventes & ita thoracis cavitatem arctiorem reddentes Costis hac ratione versus calviculam adfurgentibus, oblique extrorsum, flexis atque erectis sternoque pariter antrosum & sursum ascendente. Aequè vero in explicanda thoracis dilatatione silentio prætereundi sunt, duo musculi conjunctione aliquod septum *Drapbragma* dictum constituentes, quorum anterior sterno & costis adensus, posterior duplex & bifidum principium in lumborum vertebris, finemque in centro tendineo obtinens. Hoc, dum agit, contrahitur, ex convexo redditur planum, abdomen & ejus contenta arcta ac comprimit, thoracem vero valide dilatans, aeri undique eam distendenti promptissimum concedit aditum. Atque hæc omnia validius contingunt, quo fortior & profundior est inspiratio, qualis in continuata & protracta diutius Sermocinatione exigitur. §. V.

§. V.

Hic in dilatatam pectoris cavitatem receptus haustusque aër, si sub expiratione vocem formare debeat (§. III.) necesse est, ut ex constringendo arctandoque pectore, vi quadam exprimatur. Organa huc pertinentia, sunt primo: ipsa, ad descendendum, segmentorum cartilagineorum, violenter sursum tractorum, apta capacitas, costas qua mediante iterum, cessante musculorum (§. præc.) nominatorum actione deprimunt, deinde ipsi muscoli *abdominales*, & retrusis visceribus thoracem in situm convexum restituentes: porro *musculus serratus posticus inferior, triangularis sterni*, seu *sterno costalis Verheyeni*; denique ad thoracis constrictionem quoque concurrunt *Sacrolumbaris musculus*, qui pars est extensoris dorsi communis. Tanta est musculorum congeries, qui ad formandam respirationem suam hic conferunt symbolum.

§. VI.

Iam denique facili negotio respirationis actus intelligitur, musculis nimirum thoracis dilatatoribus (§. IV.) in actionem deductis, accidit, ut cavitate illa, pleuram inter & pulmonum superficiem, in amplius spatium redacta, auctaque aër hinc inclusus in majus descendens spatium rarior fiat, hinc aëri externo nos ambiendi minus resistit, qui ideo sublato æquilibrio, pressione sua per asperam arteriam, tam active per attractionem, quam passive pulmones subit, hos per innumeras suas expandit vesiculas, depressum vero diaphragma, & contenta abdominis extrorsum urget, ut in hac actione abdomen simul tumeat. *Inspiratione* sic peracta, sub sat exigua, qua

qua ibi hospitatur mora inspiratus, membranulasque ex quibus hæ constant teneras, eo usque tendit, donec tonus earum legitimus simul & semel agere incipiat, cunctæque vesiculæ valide se constringant arctentque, & ita *Expirationis* fit initium. Eodem tunc momento musculi, thoracem *dilatantes* a sua remittunt actione, adeoque costæ earumque segmenta cartilaginea cedunt deorsum, & in situm naturalem restituuntur; diaphragma æque ascendit; musculi denique thoracis *constrictores* (§. V.) agere incipiunt, quid quod moti plenariam perficiunt expirationem, ubi musculi abdominales, infimi ventris contenta introrsum repellunt sursumque.

§. VII.

Quodsi igitur exspiratio, quæ organis jam recensitis (§. V. VI.) post præviam inspirationem peragitur, paullo citior, i. e. cum crebriori quodam fiat impetu ita quidem, aër fat fortiter, per asperam arteriam & glottidem arctatam transprimatur, hincque corpori allidatur, *sonus* nascitur, a risu, tussis, sternutationisque genesi, nonnisi minoris expirationis gradu differens; qui quando moderamine linguæ & organorum extra laryngem positorum, & suo vario concursu & positu admodum variandorum e. gr. fornicatarum faucium, compactissimorum dentium, contractilium labiorum, glabrarum genarum, resonantium narium, veli denique palatini membranacei, cum adpena uvula, articulatus evadit, fit id, quod litteris exprimitur, & quod *vox, loquela, sermoinatio* adpellatur. Qua de re legi meretur *Joh. Conrad. Ammannus*, vir in hisce magnæ industriæ, successusque felicitate clarissimus in dissert. *de loquela & in sr. qui in*

Scribitur: *Surdus loquens.* *Amstel. 1692.* Vocis vero  
 præcipua & fundamentalis officina est *Larynx*; rima ex  
 concursu binarum cartilaginum arytonedarum formata,  
 sponte semper aperta, ad certam dimensionem, propter  
 ligamentum epiglottidem arrigens. Hæc nimirum rima  
 iam actione musculorum, *sterno thyroideorum*, *crico aryten-*  
*oidorum posticorum*, *crico arytenoidorum lateraliu* dilata-  
 tur; jam musculis *hyo thyroideis*, *thyro arytenoidis*; & *ary-*  
*arytenoidis* arctatur, idque sive strictius, sive liberius, pro  
 multifaria hujus vel alterius, vel plurimorum simul mus-  
 culorum directione. Non contemnendam in sono articu-  
 lato, seu voce formanda operam fert etiam *lingua*, ceu mu-  
 sculus maxime volubilis, & ad omne punctum, interni oris  
 facile mobilis, dum motibus multiplicibus, sursum, de-  
 orsum, ad latera, antrorsum, retrorsum tendentibus,  
 per musculos *styloglossos*, *genioglossos*, *cerato glossos*,  
 multaque peculiaria musculorum strata, & potissimum  
 per musculos illos, ipsum linguæ corpus constituentes a  
*Marcello Malpighio de lingu.* F. II. lit. A. B. C. E. G. H. L. ni-  
 tide delineatos, vel junctim, vel seorsim agentes, varia-  
 que sua ad palatum & dentes adplicatione, præcipuum  
 simul loquelæ constituit instrumentum. *Uvulam* etiam  
 multum ad formandum sermonem conferre, manifestis-  
 simum redditur, ex raucedine vocis post ejus extirpatio-  
 nem insequente; nondum tamen constat, quid præcise  
 ad vocis moderationem largiatur, interim eam præci-  
 puum loquelæ esse adjumentum defendit *Wedelius Exer-*  
*cit. Med. phil. Dec. I. lenæ 1686. in 4to edit.* & hoc ipsum  
 insignis adstruit, musculorum *glosso staphylinorum*, *pha-*  
*ryngo-staphylinorum internorum & externorum* com-  
 pages,



pages, qua Natura, quæ nihil frustra facit, uvulam in-  
struxit. *Labia* denique musculis suis attollentibus *incisoriis*, & *caninis*, deprimentibus *triangularibus* & *quadra-*  
*to*; aperientibus *zygomatis*, & coarctante *orbiculari* i-  
psa labia constituyente ad vocis modulationem multum  
facere, nemini ignotum esse potest, ut reliqua taceam  
musculorum *paria* ad idem munus obeundum aptissima.

§. VIII.

Explanatis itaque ad perspicuam evidentiam orga-  
nis, vocem & loquelam efficientibus, initium jam de-  
monstrationis facere compètit, quomodo nimirum *fre-*  
*quens vocis exercitium sit sanitatis præsidium?* Ad hunc  
titulum referri omnia ea, quæ vel sanitatis impedi-  
ta tollunt, vel morbos curant, adeoque labefactæ sa-  
nitatis restaurationem adjuvant, vel actionum vitalium  
perfectioni & perdurando vigori prospiciunt, insturata  
vero sanitatis conservationem promovent, i. e. morbos  
præcavent, jam supra (§. I.) dictum est. Quæ, quum  
ita sint, præsentis filo pertexendo nihil amplius opus est,  
quam ut ad duo hæc sanitatis fundamenta frequentioris  
loquelæ ex suis organis deducendas (§. IV - VII.) effe-  
ctus adplicem, simulque ostendam, crebrum vocis ex-  
ercitium in præstandis his utilitatibus (§. I.) egregie  
se gerere.

§. IX.

Primo igitur loco cum demonstrandum sit, quo-  
modo frequens concionum exercitium auxilium adfer-  
rat *in morbis multis præservandis*; hinc multa paucis di-  
xisse censéo, quando evinco, quod claræ vocis, qualis  
est

est in concionando exercitatio, a plurimorum morborum matre, *sanguinis nimirum spissitudine* præservet, & eundem in debita sua fluiditate conservet. *Aspera enim arteria*, circa quartam thoracis vertebram bifida, innumerabiles mox utrinque ramos divisa, continua serie plures deinde, pluresque ramificationes naeta, per omnem pulmonum substantiam propagatur, ut quo numerosiores longe abscedant rami, eo sensim angustiores, sensim tenuiores, & extremo demum sine substantia cartilaginis exuta, membranacei fiant. Hæ tensiles & teneræ membranulæ in vesiculas flexiles transeunt æris effectû expansivo, singulo extremo apici cujuscunque ramuli adhærentes, ex quarum adunatione integri pulmones *Test. Barbav in instit.* quoad vasa aërea, toti componuntur. Has bronchiorum propagines ubique ferme comitatur *arteria pulmonalis*, quæ omnibus deinde vesicularum parietibus ultimis, & longe ultra communem opinionem exillissimis suis ramulis, rete istud vasculosum constituit a *Malpighio de pulmon.* Epist. I. II. jure *miraculosum* dictum. Quando igitur aër sub inspiratione pulmones ingreditur, omnes tracheæ tubuli, dictæque vesiculæ iis adnatæ ex planiori in rotundioram extenduntur figuram (§. VI.) accidit, ut innumerabilibus vasculorum sanguiferorum in hac textura retiformi myriadibus, antea complicatis, non solum hæ exporrigantur, ut facilius sanguis per arteriam pulmonalem in venam ejusdem nominis, ad finistrum cor urgeatur, sed etiam expansis per aërem elasticum (§. VI.) vesiculis, hæc vasculorum multa millia premantur, concutiantur, sanguis vero in iis contentus attenuetur, resolvatur,

fluidi-

fluidificetur, summamque permixtionem cum suis constitutivis principiis, & in minimas moléculas comminutionem obtineat. Unde etiam ipse visus demonstrat, quod longe fluidior pulmones egrediatur, & qui paulo obscuriori colore tinctus erat, ante transitum per pulmones, nunc rutilo, comminutionis indice coruscer. Hæc autem gradu longe supremo & excellentiori contingunt, quo crebrior & fortior est respiratio; hæc vero quum creberrima & validissima sit in claræ vocis per conciones exercitio, hinc eodem ipso sanguis a spissitudine felicissime vindicatur; secundo, quum circulum sanguinis particularem per pulmones sequatur respectu celeritatis circulus sic dictus universalis per universum corpus: hinc egregie per integrum corporis ambitum adjuvatur circulatio, acceleraturque in concionando, sanguis ubique ad vasa validius atteritur, & hac ratione etiam rubicundi hujus laticis fluiditas conservatur. Confer. *D. D. PRAESES Physiol. Cap. VII. p. 79.* & specialius adhuc *Celeb. Hoffmannus med. rational. Systemat. Tom. I. Lib. II. Cap. IX. §. XIX.* Tertio quoniam actio tot musculorum respiratori velificatur (§. IV. V.) præterea etiam hanc tot loquelæ inservientes musculi (§. VII.) in continuato pro rostris sermone fortiori & indefesso nisu agentes excipiunt, insuper longe plurimi adhuc musculi, suo, cui destinati sunt defungentes officio, vicina vasa sollicitant, sanguinis circulum intendendo, eum non possunt non reddere fluidiorem.

§. X.

Progrediendum est ad aliud beneficium, quod ex claræ vocis ex suggestu exercitio in fanitatem profuit, illud est *concoctionis facilitatio.* Hic ex anatomicis notum

C

est,

est, arctam esse diaphragmatis cum œsophago id perforante connexionem, ventriculumque diaphragmati intercedente hepate oblique sinistrorsum substerni, unde in expiratione ventriculus deorsum, in inspiratione vero sursum rapitur, diaphragmatisque impulsu & pressione in fluctuantem motum actus, accidit, ut omnia in eo contenta, simul circumagitantur, divellantur, facilioremque a coloris & liquoris gastrici penetratione subeant concoctionem. Mirum enim in modum adsumtorum digestio adjuvatur, quando in inspiratione, diaphragmate, ex convexo in planum mutato & descendente, (§. VI.) omnia simul abdominis contenta, iterum iterumque repetita sæpe numero commotione arctantur, & compelluntur. vid. *D. D. PRAESIDIS Physiol. l. c. p. 80. §. 66. seqq.* Quando porro muscoli X. abdominales unita contractione eadem abdominalia viscera valide sursum comprimunt, constringuntque reciprocis motibus. Hisce causis ex respiratio-  
pendentibus, & sub clara fermocinatione multum auctis adjuvatur adsumtorum resolutio, chyli laudabilis ingestis elaboratio, ejusdem in oscula vasorum chyli ferorum intrusio, per venas lacteas & ductum thoracicum transpressio, stagnantium demum intra viscera humorum, variis vitæ ac sanitatis periculis fomitem præbentium, egregia discussio: adeo, ut in stomachi debilitate, & vitiis, quibus litterati ut plurimum obnoxii deprehenduntur, nihil tam egregie ventriculi integritatem & tonicum robur intendat, ac assidua validæ vocis pronuntiatio; cui jam olim veteres unanimi ferme consensu suffragantur. *Hippocr. enim Lib. III. de diæta §. XXIII.* ita suam hac de re sententiam exponit: *vocis exercitatio a cæna valde commoda est,*  
&

& Lib. de Insomniis §. III. vocis exercitio repletus utatur, jubet. Celsus Lib. II. c. 8. & claram vocem in stomachi vitiiis magnopere laudat. Et pariter pulchre Aërius Sermon. III. cap. V. scribit: *Vox egregie convenit stomacho laborantibus & acidum eructantibus.* Quum itaque frequens mystarum sermocinatio, adeo comoda & fructuosa sit, exquisita & laudabili concoctioni; hinc altera ex parte eadem quoque præservata multis morbis ex perversa digestionem provenientibus, uti sunt: *Flatulentia, colica pituitosa & biliosa, nausea, cardialgia, vomitus, spasmi ventriculi, sôda, obstructio vasorum lactearum, & inde dependentes infarctus.* Ex his adlatis denique facile ista diætetice quæstionis decisio stabilitur: an consultius sit ante conciones cibum ingerere, aut jejuno ventriculo concionandi adgredi officium? item, utrum sit melius, ante aut post meridiem concionari? monendum tamen hoc loco utique est, quod, quia sub in- & expiratione adaucta, uti fit in alta voce prolatis concionibus, muscutorum abdominalium valida actione non alimentorum modo ex ventriculo & intestinis, sed & chyli expressio valde urgetur, non illico post pastum largiorem, vocem nimis intendendam, sed hora circiter a pastu IIIta aut IVta demum motum corporis per altæ vocis sermonem suscipiendum salubrem esse censeo, ut aucta respiratione, tunc chyli secretio & progressus melius adjuvetur, quare mystis pomeridie prædicaturis, hora ante meridiem XI. prandendum erit, hac vero restrictione, ne venter nimium cibis distendatur.

Et velut ex solo hoc digestionis commodo, a clara

voce pendente, palmarium quoque *sanguificationis legitima* usum derivare possem; juxta illud: *qualis chylus, talis sanguis*; ita his prætermisissis, alii adhuc fontes suppetunt, ex quorum scaturigine; thesuros hujus haurire valeam demonstrationem. Præcipuum hic erit argumentum, jam supra (§. IX.) prælibatum; pulmonum nimium vis, & efficacissima actio. Idac enim non solum sanguini ad pulmones advecto, debita conciliatur attenuatio, fluiditas & contritio (§. cit.) verum chylus recenter in subclavia vena sanguini adfusus, dum per pulmones validissime & velocissime transprimitur cum intimius miscetur, ei assimilatur, subigitur & calore conteritur. Confer. D. D. PRAESID. *Physiol. l. c. ff. 62. 63.* Satis perspecte id videmus, dum sanguis ex dextro cordis thalamo emissus, crassus & nigricans adparet, facileque ab ipso chylus, si quieti exponatur recedens, eidem supernatat; ex sinistro autem spumofus, floridus, & fluxilis redditur. Deinde si ipsum cor, ejusque incredibilis vis muscularis, per systolem mirum quantum sanguificationem perficit: Exercitium claræ vocis etiam in eo sanguificationem promovet, quia cordis motus longe frequentior fit, quando respiratio intenditur. Ecquis non videt, quam peculiariter adjumentum claræ vocis in concionando pronuntiatio adferat? Continuata enim per aliquod tempus altissimi sermonis prolatio, respirationem intendit, unde sanguinis ritus ac reditus majori facto per pulmones impulsu, ex uno ventriculo in alterum, & hocce modo per universi corporis sphaeram celerius absolvitur, hinc omnes effectus, quos pulmonum, cordis totiusque systematis arteriosus vis & actio in sanguificatione sustentat, perfectius lon-

longe, egregius, & consummatius perpetrantur. Sanguinem vero in iis, qui vocis exercitio utuntur, celerius per vasa devolvi, testatur sat commune illud in concionatoribus phenomenon, qui dum Hyeme gelidissima acribus e suggestu faciunt sermones, faciei non solum rubore, sed totius quoque corporis calore perfunduntur, auditoribus interea præ vehementi frigore trementibus, quæ singulæ mutationes non nisi aucto sanguinis impulsu fieri posse, ex physiologicis innotescit fundamentis. Omnia denique, quæ sanguificatio ex promotio intensiori per mystarum sermocinationem sanguinis circulo petit juvamina adaugentur adhuc per reciprocas actiones longe plurimorum muscutorum in vocis exercitio occupatorum (§. IV. V. VII.) vicinia vasa sollicitantium. Quinimo & omnes musculi, humeri & brachii, quibus, ut orationi suæ emphasin gestibus concilient, in concionando mystæ utuntur, hic symbolum suum conferunt. Quando denique plenarium sanguificationis negotium absolvitur, viscerum abdominalium conspirantibus functionibus. v. gr. Hepatis, lienis, pancreatis, certe hic etiam laudibus sermocinationis frequentioris adnumerandum, quod horum omnium viscerum effectus ac functiones mirum quantum secundet perpetua in concionando integri abdominis frequentissima, sursum, deorsum, antrorsum, retrorsum, per diaphragmatis & muscutorum abdominalium validam compressionem, facta concussio.

§. XII.

Ad quartum jam Sermocinationis accedens emolumentum, quid illa in se & excretionibus promovendis valeat, videbo. Quandoquidem enim certæ atque ex-

ploratæ veritatis res est, multos non tantum contumaces  
 & chronicos morbos, partim ex digestionis, partim  
 quoque a se. & excretionum vitio defectuque suam du-  
 cere originem: necessario sequitur, non præsentius ad  
 firmandam valetudinem, & corpus in saluberrimo statu  
 servandum, atque ad omnes morborum origines præ-  
 sciendendas dare præsidium, quam quod chylicationi,  
 ciborumque in primis viis concoctioni, atque demum  
 sanguificationi velificatur, deinde vero cavet, ne secre-  
 tiones & præcipue excretiones, quocumque etiam tem-  
 pore labascant, sed recte se habeant & sufficientes sint.  
 Hujusmodi laudatissimæ præstantiæ, & longe maximæ  
 utilitatis remedium esse illam peculiarem motus volun-  
 tarii speciem, quam claræ vocis exercitium in concio-  
 nando constituit, in eo toti sumus, ut evincamus, &  
 prius quidem beneficium, quod in sublevanda juvenda-  
 que concoctione, ac chylicatione situm est, jam supra  
 (§. X.) demonstravi. Restat ideo ut etiam ostendam  
 per singula eundo, quales auspiciatissimos successus, se-  
 & excretionibus perennandis adeoque æquali sanguinis  
 per totum corporis habitum distributioni, claræ vocis  
 continuata polliceatur pronuntiatio. Agmen ducat *Salivæ*  
*laticis* in corpore humano adeo utilis *secretio*, quam  
 sub continuato sermonis usu longe copiosius fundi, ne-  
 mo facile dubitabit, quicumque non solum in loquendo  
 suæ ipsius recordatur experientiæ, sed etiam ulterius per-  
 pendit durante sermone, fontes & emissaria salivalis hu-  
 jus humoris, glandulas nimirum ejus sequestrationi dica-  
 tas nominatim *parotides*, *maxillares* & *sublinguales*, ear-  
 rumque ductus excretorios, ita esse politos, ut sub per-  
 petua



petua maxillæ inferioris, quæ in loquendo viget, motitatione & musculorum agentium præcipue *masseteris* constrictione, imprimis humorem hunc suum longe copiosius profundant. Pariter etiam sub frequenti fermocinatione *liquoris gastrici*, perpetuo ex interioribus ventriculi parietibus exsudantis, & salivæ valde æmuli, proventus ac secretio longe auctior, copiosiorque in in & expiratione succedit, quia sermonis usus partim, dum universonum sanguinis circulum adcelerat, majorem illius ad ventriculum per arterias influxum, adeoque secretionem hujus liquidi præstat uberiolem. Si quis dein egregium duplicis hujus menstrui utilitatem ponderat in digerendis adsumtis videbit supra (§. X.) dicta hæc deductione plurimum corroborari. *Lympha* in hepate & bilis utriusque secretionem, copiosius longe concelebrari debere sub vocis exercitio, suadet accretio hepatis cum diaphragmate, ex anatomicis nobis nota; atque hujus sæpe numero recensitus motus conquassatorius longe vehementior & validior sub frequenti fermocinatione, qui maximam suam fere vim in hoc viscus exerit tanquam proxime contiguum; ita etiam cum *succi pancreatici* uberiori profluvio comparatum. *Renes* autem, ut ut remotiores sint a diaphragmate, quoniam tamen situs illorum nexusque talis est, ut vicinarum partium propagato motu juvari in secretionem queant, hinc aucta sub accumulata fortique in concionando inspiratione & expiratione, musculorum abdominalium vehementi compressione & dilatatione, septique transversi ascensu & descensu intenso, augetur etiam renalis colatorii tonus, & *urinae uberior secretio*, si imprimis largior potus

tus accesserit, subsequitur. Multo magis adhuc in pro-  
 patulo est, quantum hæc contentorum abdominalium  
 agitatio, quæ fit sub claræ vocis in concionando con-  
 tentione ad *alvi excretionem* concurrat. Quum enim a  
 motus peristaltici conditione dependeat fecum exclu-  
 sio, hincque, quo tardior ille est, ut in hypochon-  
 driacis adfectibus, eo segnius hæc procedit: Ve-  
 rum quum iste sub sermocinatione vocisque exercitio  
 non possit non esse vegetus & efficacissimus, liberrima  
 & expedita exinde, saburræ alvinæ depositio, inutilium  
 que multarum substantiarum mucidarum, foeculentarum,  
 terrestrium, biliolarum, & acescentium, maximum va-  
 lerudinis commodum, per sedes eliminatio. Sicuti au-  
 tem sub hac alvina excretionem magna, glutinosi qui cor-  
 pore & sanitati oneri est, *muci* copia per glandulas len-  
 ticulares crassorum intestinorum foras eliminatur; ita  
 non minus per reliqua mucosæ lymphæ colatoria, quæ  
 in tota narium, palati, & faucium regione, deinde in to-  
 ta asperæ arteriæ glandulosa tunica extant, sermonis for-  
 tioris beneficio copiosissimam *muci excretionem* fieri, quo-  
 tidiana testatur experientia. Et *sudoris* copiosissima inter-  
 loquendum diu clara voce excretio, quæ oculis patet,  
 quid me morabitur? hæc per se clara, & manifesta res  
 est supraque (§. XI.) jam recensitum phœnomenon  
 mystarum sub extremo hyemis frigore in concionando  
 per totum corpus calentium, sudoreque madentium,  
 qui sermocinationis effectus dubitare amplius non sinit,  
 quin hæc excretio, si quæ alia largissime continuata &  
 emphatica sermocinatione in majus sanitatis auxilium pro-  
 moveatur. Tanta tamque magna sermocinationis in se-  
 & ex-

& excretionibus promovendis est efficacia, ut quis inde facillimo perspicere possit negotio, sermonis exercitium, in omnium illorum morborum præservatione, qui ab harum secretionum impedito successu ortum suum sortiuntur, non postremam subministraturam esse operam.

§. XIII.

Ex dictis hisce rursus aliud commodum, ex claræ vocis exercitio, in sanitatem redundans, consequitur, nimirum *liber sanguinis & humorum circulus, atque æqualis illius per corporis habitum distributio*. Quod si enim morborum tam acutorum, quam chronicorum primordia, atque origines, exquisitiori paullo indagine exploremus, sane deprehendimus, sanguinis & humorum congestione inæquales & nimios decubitus, stagnationes, stases, minimorum vasculorum obstructions, maxime vero omnium perspirationem impedirem eos procreare. Cum vero sanguinis libera per integrum corpus, & æqualis motus distributio has causas omnes avertit, levi adparet negotio, in eo maximam efficaciam, adversus ingenerandas morborum materiales causas sitam esse. Quemadmodum vero in pharmaceutica curatione, laudatissima ista æquabilis sanguinis distributio, si læsa sit, imo sublata optime diaphoreticis blandis restituitur: ita etiam diæterice quam salutariter conservatur, libera faciliq; acrium sordium per cutim transpiratione, quæ motu sanguinis intestino calido gignuntur, & ceu materiæ subtiliores, acres, activæ indolis, infensissimæ sunt sanitati.

§. XIV. *De motu tonico vitali*  
 Hæc autem omnia a natura humana, unice motu  
 tonico vitali perficiuntur, sine quo nullus sanguinis &  
 humorum concipi potest progressus: hinc absque eo se-  
 & excretiones absolvi minime possunt. Sicuti vero om-  
 nes in genere impigre suscepti corporis motus, robur  
 fibrosis conciliant partibus; ita hanc nostram quoque  
 motus speciem, quæ claræ vocis exercitio instituitur,  
 præclare motum tonicum intendere & vigorare, eo-  
 que ipso hoc titulo denuo sanitatem confirmare in aprico  
 est positum. *Conf. Illustr. Stahl. Diss. de mechanismo mo-  
 tus progressivi sanguinis.* adeoque sanguis, reliquique hu-  
 mores, non solum per truncos & majora vasa, libere,  
 promte, facile, cito transeunt, sermocinationis bene-  
 ficio; sed per partes quoque cribrosas, fibrosas, omni-  
 umque musculorum porositates, æque expedite & rite  
 blanda motus tonici, & moderata constrictione, & re-  
 laxatione circumvehuntur, & ita tandem exsurgit univer-  
 salis ille corporis vigor, quem veteres per robur parti-  
 um denotarunt. Audiamus hac in re gravem autorem  
*Plutarchum qui Oper. Tom. II. p. 130. ita disserit. Usus ser-  
 monis voce pronunciat, quotidianus mirum dictu quam u-  
 tile sit genus exercitationis, non ad sanitatem duntaxat,  
 sed & ad vires, non quidem athleticas eas, aut quæ car-  
 nes augeant, sed quia principibus corporis membris, pe-  
 nes quæ vitæ potissimum facultas, naturale robur, ve-  
 rumque vigorem ingenerat.*

§. XV.

Quodsi ad sanitatis notas characteristicas etiam per-  
 tinat animi vigor & tranquilla alacritas, (§. I.) ostenden-  
 dum

dum nunc demum est, quomodo continuatum vocis exercitium sanitatem suffulciat, *Animum ipsum excitando.* Dum enim sanguinis spissitudo, secundum DN. PRÆSID. Pathol. Cap. II. §. XVIII. *ad diuturnas mentis perturbationes & alienationes anxias, timidæ, sollicitas ira distas melancholias* disponit, præterea secundum §. XXI. c. hæcce crassities *energiam vitalem* in vitalibus negotiis exercendam *adgravat*; denique secundum Excell. *Funker* *consp. med. Tab. III. Sign. II. Animus torpidus anxius, vulgo schweres Bluth, schwerer Muth,* pro frequentissimo spissitudinis venditatur signo, ita hæc per continuum fermocinationis exercitium sublata (§. IX.) & contrario animi alacritatem subsequi nemo dubitabit, cum cessante causa moeroris, cesset etiam ipse moeror. Confert etiam ad hunc animi vigorem, animi illa tranquillitas & conscientia quies, quæ in fidelibus verbi divini ministris exoritur, quando eorum conscientia tacitum & internum ipsis testimonium perhibet se muneri suo divinitus sibi collato, pro viribus satis fecisse, seque cum *Paulo in dist. Apost. Cap. XX. v. 27.* nihil subterfugisse, neque reticuisse quidquam, quo minus audeat renunciarint concreditæ sibi & commissis auditoribus omne consilium Dei de eorum æterna salute, & *Cap. XXVIII. v. ult.* se prædicasse regnum dei, ac docuisse, quæ sunt de Domino Jesu cum omni fiducia, intrepide, nemine prohibente. Et ita sub singularum prædictarum circumstantiarum legitima constitutione, sub excretionibus præcipue omnis generis, clara fermocinationis beneficio, felicissime in libero suo, & non interrupto successu conservandis (§. XII.) succi corporis

nostri varii, ut decet, præparantur, blandam & laudabilem temperiem ac crasin nanciscuntur, partes solidæ rite nutriuntur, justamque motu tonico tensionem acquirunt, atque inutiles & damnosæ sordes expelluntur, quæ alias, si in interioribus corporis partibus retineantur, fixamque sedem obtineant, continenter partes, quæ sensû & motu vividæ sunt, lacescant, ut primam inde occasionem dolorificarum idearum anima capestat. Unde dilucescit, frequentiori clari & alti sermonis exercitio, ultimum quod in defn. (§. I.) positum est, sanitatis requisitum obtineri, scilicet, ne dolor, aut *ingrata sensatio oboriatur.*

§. XVI.

Perlustratis hucusque sanitatis conservandæ, & a morbis præservandæ per frequens vocis exercitium commodis; ad alteram jamdum momentum quomodo alta, sæpiusque instituta fermocinatio, ad morbos quoque percurandos efficacissime concurrat, me accingam. Atque iterum hic in scenam primo prodeat, jam *commemorata sanguinis spissitudo*, quam attenuat validissima illa cruoris per pulmones, sub intensa & aucta in concionando respiratione transactio (§. IX.) quæ majoris sane momenti, & energiæ est, quam vulgo quidem creditur, dum non solum hacce attenuatione sanguinis spissitudinem tollit, sed omnes quoque exin oriundos morbos felicissime profligat. Curare enim est causas morborum tollere; prolixiori hujus rei demonstratione ideo libenter supersedeo, si reiterentur superius dicta (§. cit.) modus fiendi exinde liquet, ubi pro instituti ratione dictum est, quomodo in fermocinationis processu

cessu omnes thoracis partes per augmentum toni agant, quomodo in expiratione muscoli abdominales intendantur, multique alii circa laryngem muscoli; quomodo his omnibus vasa adjacentia comprimantur sanguinea, ut sanguis in iis contentus, rapidiori propellatur nisu, allisique fortiori ad latera vasorum impingat, qua particulae jam in tenacem coalitae consistentiam divelluntur, conquassantur, fluidioresque humores redduntur; quomodo etiam in pulmonum tenerrima textura cruor obscuriori colore tinctus, per innumeras vasculorum, plus quam capillarum myriades, quasi per filtrum transpirantur, ut exeundo longe fluidior, fluxilior, tenuior, fluidior existat. Ast quid juvat crambem biscoctam adponere? superius sufficienter dictum est, ideoque nec diaphragmatis saepius passim collaudatam utilitatem, atque adjuvamentum iterum repeto, quod per motum suum reciprocum continuum, in clarae vocis pronuntiatione imprimis vigentem, partes quibus adhæret, nimirum hepar, lien, ventriculum, adeoque totum intestinorum tractum, cum annexo omento, & portae imprimis sic dicta vena, efficaciter plus millies attollit, atque deprimit vicibus; adeoque omnem per abdominalia viscera diffusum sanguinem egregie fluidificat, muneribusque suis adaptat.

§. XVII.

Quaecunque igitur ex sanguinis spissitudine, ceu larga efflorescunt segete, morbi multi variique; Eorum fere omnium efficacissimam adfert medelam hæc frequens & continuata fermocinatio. Huc pertinet *Cachexia* cujus causa præcipua est coacervatio & restagnatio sanguinis circa viscera, præcipue Venæ portæ connexa,

quæ lymphæ laudabili, ex impedita se. & excretionem, lentam mucidamque spissitudinem inducit, ex qua ipsa sensim magis magisque glandulosa colatoria, per hepar, mesenterium, intestinorum canalem obviscantur usumque porro, seroso lymphalis spissitudo, per universum humorum latifundium invalescit, stagnatoriosque infarctus non minus in visceribus, quam etiam per totum externum corporis habitum inducit, unde reliqua symptomata consequuntur. Inde molestissimum & contumacissimum hunc adfectum optime perfanat, clara voce infituta mystarum sermocinatio, ceu placidi, efficacis tamen & perennantis motus species, humorum & sanguinis massam corrigendo, ac fluidificando (§. IX. seq.) sanguinem legitime depurando (§. XI.) primas vias roborando, viscera reliqua aperiendo & referando (§. XII.) præparatos excrementitios humores per multifaria colatoria evacuando (§. XII.) motum tonicum in peripheria corporis intendendo & vigorando (§. XIV.) & æqualem humorum distributionem, liberioreque transpirationem efficiendo. (§. XIII.) Iisdem ex principiis etiam frequens mystarum sermocinatio, *cacochymiam*, varios viscerum infarctus, *quartanam*, *melancholiam*, *scorbuzum*, *arthritis*, omnesque eius species, *pleuritidem spuriam*, *malum ischiadicum*, *chiragram*, *gonogram*, *podagram*, alios spasmos, *palpitationem cordis*, *calculum*, *oralgiam*, *ophtalmiam*, *vertigines*, *suppressionem hæmorrhagiarum naturalium*, *hæmorrhoidum*, *hæmoptyses*, *vomitum cruentum* &c. feliciter cum successu profligat.

§. XVIII.

Et quid dicam? de communi illo litteratorum tyranno,



ranno, *Malo* nimirum *Hypochondriaco*. Exempla certe longe plurima menti obversantur, quæ sub fidelissimo ductu, & felicissima præxi præceptoris mei, patroni atque hospitis, gratæ mentis cultu prosequendi *Excell. D. Funckeri* mihi obvia facta sunt, hic brevitatis studio reticenda. Quum enim in hoc malo omnis medendi methodus eo redeat, ut crasis sanguinis & humorum spissior corrigatur, atque attenuetur, naturalesque excretiones per alvum, diuresin, præcipue transpirationem &c. promoveantur; Tonus etiam ventriculi & intestinorum motus peristalticus roboretur: sequitur, frequens & continuatum vocis exercitium, ceu singularis motus voluntarii species, in hocce malo felicius superando, laudem non ultimam mereri. Imo Natura ipsa, ad istud auxilii genus, quod in frequentiori atque auctiori, in- & expiratione latitare apprime cognoscit, ex saluberrima intentione manu quasi nos ducit, dum in hypochondriacis creberrima, profundaque suspiria, non sine momentaneo quodam tentamine excitat. Hinc omnibus & singulis, qui studiis impigre vacant, & præcipue iis, quæ divinæ illi scientiæ perdiscendæ viam commonstrant; totos se manciparunt, maximopere commendo, ut quo magis vitæ ipsorum ratio, morbo huic ingenerando idonea est; eo magis claræ cordique habeant, præcipue, quum ex hac nostra tractatione, ipsis minime amplius possit esse ignotum omnes indicationes hujus morbi, curatorias & præservatorias, paullo ante numeratas per solertiorum & indefessam claræ vocis pronunciationem ad votum expleri, quippe quæ crasin sanguinis & humorum spissorem corrigit & attenuat (§. IX-XI-XVI.)  
num

num in ventriculo & intestinis auget, & roborat (§. X.) viscerum infarctus referat (§. XI.) saluberrimas excretiones per transpirationem, alvum, & urinam promovet (§. XII.) æqualem humorum distributionem restituit (§. XIII.) unde pendet plethoræ imminutio & totius spasticæ hujus adfectionis præ omnibus pleno ore deprædicatis remediis saluberrima consopitio.

§. XIX.

Haud dispar est ratio crebrioris fermocinationis in ipsius *hæmoptyseos curarione*. A quacunque enim hæc causa ortum ducat, unico statu ulceroso pulmonum excepto, per antea demonstrata principia physiologico-anatomica frequens fermocinatio jam spissitudinem sanguinis corrigendo: jam congestiones particulares in universales commutando, sive quocunque alio modo saluberrimum, est etiam *respectivum & circumspicte* applicandum hæmoptyseos recurrentis constituit remedium. Et quod vera dixisse jure meritoque videar, hancce adfectionem notabili *cujusdam litterari* optima adhuc constitutione viventis exemplo corroborasse juvabit. Hic XXX. circiter annorum, temperamenti sanguineo-melancholicus, quum complures ante annos, vitæ admodum sedentariæ, litterisque impensiori adhærens studio hypochondriacus exin factus, incidit in hæmoptysin. Postquam autem muneri concionatorio admotus, ac prolatis concionibus corpus sæpius exerceret, liberatus fuit ab hæmoptysi & quum deinde excedentis sanguinis redundantiam legitima venæ sectione, proboque diætæ, atque animi pathematum debito regimine, anteverteret, voce præterea moderata in publicis suis orationibus uteretur,

retur, accidit ut ipsi frequens claræ vocis pronuncia-  
tio, non solum in ecclesiasticis, sed etiam privatis paræ-  
neticis, atque academicis fermocinationibus, ut egre-  
gium sanitatis ab hæmoptysi præsidium ex voto cesserit.  
Adpono adhuc alterum notatū æque dignum casum,  
quem ab *Excell. Dn. Prof. Schultze* accepi: Director qui-  
dam Musices in juniore ætate, cornu venatorio (vulgo par  
force horn) cantando, multam operam, multamq; vehemen-  
tem respirationem impenderat, ab hoc autem, cum ali-  
quando abstineret, siquidem in vicinia ædium sacerdo-  
tialium habitaculum nactus fuerat, correptus est hæmo-  
ptysi, a qua vero simul ac suavis prælaudati Viri ad con-  
sueti antea musices generis exercitium rediret, ex toto  
fuit restitutus. Ex quibus elicitur, quod fortis ista,  
quæ ad sonum cornu venatorii postulatur aëris in pul-  
monibus pressio & expulsio, quæ pro causa alias occa-  
sionali seu procatartica hæmoptyses adiciendæ vendi-  
tatur, copiosiore quidem adfluxum, atque inæqua-  
bilem, impeditioremque sanguinis per pulmonum vasa  
transitum efficiat, majori copia in arteriam pulmonalem  
ejusque ramulos adfluentis, quam venæ eum recipere  
& reddere possunt: attamen, quia per intensam pres-  
samque statum sive inspirati aëris expulsionem vesiculæ  
pulmonales (§. IX.) perpetuo reciproce vascula sangui-  
fera, cellulis pulmonum intexta compresserunt, adeo-  
que sanguinem distendentem discusserunt, non potuit  
feri excessiva tenuium vasculorum expansio, atque intum-  
escencia, neque effectiva ruptio, quam diu cornu  
cantavit; posteaquam autem id omittens, nihilominus  
sanguis ex consuetudine aliqua introducta, ad pulmones  
E affatim

astatim adfluxit, nullaque aëris valida expansio & renitentia continuavit, quo factum est, ut sanguis e pulmonibus notabili erumperet impetu, qui penitus iterum evanuit, musices hoc exercitio rursus readsumto. Pulmonum enim vigorem roborat temperata in- & exspiratio (§. IX. XIV.) & æqualem sanguinis distributionem per totum corporis habitum promovet (§. XIII.) adeoque stagnationes, decubitus in pulmonibus: unde hæmoptysis, pleuritis peripnevmonia, asthma sanguineum, respiratio anxia & difficilis, auferuntur.

§. XX.

Idem valet de *congestionibus ad pectus tendentibus* & præcipue exortis, quando humores, vel ex activa naturæ intentione, vel ex passiva regurgitatione, vel ex motu jam in consuetudinem degenerato, versus superiora loca propulsi, varias corporis afflictiones, spasticas, distensorias, oppletorias efficiunt. In his itidem rite debellandis, altam & continuatam in concionando fermocinationem, haud leve adferre auxilium ex antecedentibus fati liquet. Congestos enim ibi humores, motus tonici augmento (§. XV.) discutere & resolvere, naturam a particulari ad universalem humorum distributionem invitare (§. XIII.) superfluos vero e corporis sphaera eliminare adjuvat. Et ita quidem singulos supra (§. XVII.) enumeratos ex spissitudine sanguinis oriundos morbos pertractare, eorumque persanationem ex frequentis fermocinationis effectibus deducere specialius possem, præcipue *in negotio hæmorrhoidali* ex (præcedenti §. IX. XV.) singularem hujus specialis motus curatorium utilitatem evincere; eandem pariter in *capitis*  
dolo-

*doloribus* adeo solemnī & tot hominibus familiari malo verificare possem, demonstrando, quod ventriculum & primas vias roborando (§. X.) & æqualem sanguinis per totum corpus excretionem promovendo, plurimas cephalalgiae species, quæ ex conspiratione capitis cum ventriculo mediante pari octavo nervorum vago oriuntur. Porro neque alienum ab hoc tractationis ordine foret, ulterius & specialius scrutari, quos morbos ex sanguificatione vitata propullulantes profligat, siquidem sanguificationem adjuvat; quos debellare possit per excernendorum retentionem prognatos, dum omnis generis se. & excretionem promovet (§. XII.) Quibus adfectibus morboſis ex inæquali & impedita sanguinis per totum corporis ambitum distributione profectis medelam adferat? dum hanc emendat (§. XIII.) quibus denique ex torpido nimium & languido motu tonico exortis prospiciat (§. XIV.) verum enim vero, arcti differentiationes limites in amplissimum hunc campum exſpatriari non patiuntur, adeo, ut sufficere debeat, pro inaugurali specimine saltim quædam delibasse, non pertractasse, adumbrasse, non elaborasse, ulteriorem & specialiore ad huc hujus rei meditationem lubenter aliis relinquens.

§. XXI.

Necessarium tamen summopere arbitror, ut ante quam colophonem huic addam labori, cautelas quasdam proferam, ne ex dictis hæstenuſ mihi quisquam obtrudat, me absque ullo discrimine personarum, aut moderate frequens & assiduum concionandi exercitium commendasse. Velut enim omnis excessus noxius, & moderata tantum durant: ita & fermocinationi certi sunt limites constituti, si prædictas utilitates præstare debeat.

Eximendi igitur sunt mystæ, naturale & hæreditarium pectoris vitium habentes, ut gibbosi, asthmatici, vel quibus pleura pulmonibus arcte & firmiter accreta; horum enim omnium adfectuum causa, vel uti curatu difficilis vel impossibilis est, ita etiam, ab exagitata aliquo modo impetuosis respiracione, fermocinationem perpetuo comitante, loco levaminis majores adhuc infert exacerbationes, quas eminentiori adhuc gradu perferunt ulcerato phtiseos statu laborantes: a nimia enim humorum ad loca ulcerata commotione, facillime exacerbationes ulceris inflammatorie, quæ tumulum tanto citius adferunt, exoriuntur. Ut taceam pulmonum ulcera difficillimæ aut plane nullius esse curationis, quoniam locus adfectus in perpetuo subordinario ad vitam necessario sit constitutus consolidationi semper repugnante motu. Excipiendi porro sunt mystæ, qui in sanguinis motus eluctatorio-ogasticos, vel vertiginosas capitis adflictiones, vel periculosas cordis palpitationes, vel enormes narium hæmorrhagias propendent. Hi omnes continuo concionandi muneri satisfacturi, non bene sibi consulere, sed majorem potius mali augmentationem sibi concillarent, quod præsertim etiam de iis valet, bronchum, raucedinem, seu alios colli pertinaciores adfectus sæpius adculantibus. Circa vocem demum ipsam mirum quantum est suadendum moderamen, ne nimium ultra vires ipsa intendatur & sine ulla intermissione impetuose continuetur, quia exinde maxima sanitatis pericula, ut hæmoptysis &c. oriri possunt. Qui inde oriundus effectus, tantum abest ut ante dictis contrarietur, sed potius eundem magis magisque stabiliat, & abunde satis testatur: unius causæ sub diversis circumstantiis contrarios esse posse effectus.

T A N T U M.

NOBILISSIMO  
DOMINO CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.

**S**ummum, eximium idque divinum est mandatum ad Esaiam Prophetam cap. LVIII. 1. directum, quo detestanda Judæorum hypocrisis reprehendenda indicatur: *exclama gutture ne cohibeto, tanquam buccina extolle vocem tuam & indica populo meo defectionem ipsorum &c.* ast juxta Ecclesiasten cap. III. 7. *tempus est tacendi & loquendi: quare tempestivum dictum per bonum est Proverb. XV. 23. & oratio commode dicta est, ut aureum malum in calatura argentea ib. c. XXV. ii.* non quælibet vox sale condita & salubris est; quædam enim prætumida & vana, alia clamans & tamen vacua, ut nux casta, quædam stentorea tamen macilenta, quædam sibi aliisque insalubris & perniciofa: quædam verbosa, gloriosa, garrula, insipida, incongrua & sterilis est: Vocis tonus & sonus sit bonus & pronus! vox sit ingenua nec

simulata aut bilingvis: Vox interdum moraliter sana,  
phyfice ægra esse potest: Aliquando vox est debilis &  
humilis, alit fensus gravis & altus. Veraque est enuncia-  
tio ISIDORI PELUSIOTAE *Lib. I. ep. 275. Vita sine ser-  
mone magis prodesse solet, quam sermo sine vita: nam illa  
etiam tacens prodest: hic autem etiam clamans molestiam  
affert: at si & sermo & vita in unum occurrant, omnis phi-  
losophiæ simulacrum efficiunt.* Etenim non omnis vox  
Iohannitica est, quæ viam Jovæ parat, aut in incultis lo-  
cis Deo nostro semitam corrigit, sed sæpe homines cla-  
mant cum strepitu in deserto: dantur etiam muti canes,  
*latrare non potentes, jacentes, recubantes, amantes sterte-  
re Es. LVI. 10. & ita lingua parvum membrum est, magnas  
habens vires, ignis est, mundus scelerum Jacob. III. 5. 6.*  
Non inelegans consideratio est, in Medico foro vocis,  
loquelæ aut sermonis utilitates sanitati naturali inservien-  
tes rimari: nec tantum publicis sacris officiis dediti, psal-  
lendo aut declamando inde salubritatem aliquam acqui-  
runt, sed dum omnibus hominibus in naturali ordine lo-  
quela familiaris est, omnes vicissim ex iusto sermonis usu,  
medicum fructum colligunt: quare SEBITZIUS *de Voce  
Hominis* ait: *hæc animo & corpori prodest & obest; sit  
tantummodo prudens & peritus illius usus: qui si congruus  
fuerit utriusque salutem adjuvat & erigit, incongruus vi-  
cissim hominis salutem corrumpit, evertit, destruit: huc  
quadrat effectum Ecclesiastes c. XII. 12. quod lectio multo-  
rum fatigationi sit carni, aut juxta versionem germanicam  
viel predigen mache den Leib müde, hæc observatio non  
modo illos attinet, qui in Ecclesiasticis officiis negotiosi  
sunt, sed qui in inferioribus & sublimioribus scholis stre-  
nuos exercent labores: multis crebrior oratio viam ad  
tumulum stravit & paravit, paucis emolumento fuit: mul-  
ti affi.*



ti assidui oratores asthma, hæctica, phthisi, cordis poly-  
lypo, apoplexia, paralyti, hæmoptysi &c. expirarunt; a-  
liqui strenua voce ad ultimum vitæ halitum usi fuerant:  
nec desunt eminentia & notatu digna exempla ac speci-  
mina oratorum, qui sub reliqua sedata & sedentaria vita  
ex vocis assiduo usu multam sanitati quadrantem opem  
acquisiverant: & licet PLUTARCHUS *de tuenda sanitate*  
egregias utilitates de vocis usu promiserit, quando asse-  
rit: *vox cum sit anima motus, non in superficie, sed intimis*  
*in visceribus, tanquam fonte valescens, calorem auget, san-*  
*guinem tenerum reddit, omnes expurgat venas, omnes ape-*  
*rit arterias, coire & concreescere humorem nullum superva-*  
*caneum patitur, aut tanquam facem supersedere iis in vas-*  
*is, quæ alimentum excipiunt ac conficiunt,* tamen vicissim PLI-  
NIVS *jun. Lib. 3. ep. 13.* professus est, quod orationem tam  
submittere, quam attollere deceat; imo valet huc effatum  
CICERONIS *pro leg. Manil. non tam copia, quam modus in*  
*dicendo querendus est.* Medici itaque officium est, ut in-  
genue ac perite indicet, quibus, quando & quantum pro  
sanitatis tutela loqui & filere conveniat: non incongru-  
um erit hoc loco SENECAE iudicium in *Ep. XV.* addere:  
*nec tu intentionem vocis contempseris; quam vero te per-*  
*gradus & certos modos attollere, deinde deprimere*  
*Quid ergo? a clamore protinus & a summa contentione vox*  
*tua incipiet? usque adeo naturale est paulatim incitari, ut*  
*irrigantes quoque a sermone incipiant, ad vociferationem*  
*transseant: nemo statim Quiritum fidem implorat: ergo*  
*ut cunque tibi impetus animi suaserit modo vebementius fac*  
*virtus convicium, modo lentius, prout vox te hortabitur &*  
*latus. Modestam cum receperis illam revocarisque, descen-*  
*dat, non decidat: moderatores sui temperamentum habeat,*  
*nec indocto & rustico more deserviat. Non enim id agitur,*

*ut exerceatur vox, sed ut exerceat:* Ex quibus singulis  
inclarescit medica Loquelæ & sermocinationis elogia si-  
mile requirere temperamentum, ac reliqua media atque  
subsidia, quibus uti debent humana individua: illud vero  
generale commendationis argumentum est, quod ARI-  
STOTELES *Lib. 2. Politic.* profert. *dicenda sunt quæ utilia  
futura sunt & dicenti & auditori.* Ad Te Nobilissime Dn.  
Candidate mea nunc se vertit compellatio, posteaquam  
Inauguralem Tuam Dissertationem docte elaboratam &  
proprio studio sat eleganter exaratam, perlegi: propo-  
sisti in ea quæ scribenti honori & legenti utilitati ce-  
dunt, dum assiduæ sermocinationis usum sanitati Mysta-  
rum proficuum esse declarasti & confirmasti, insuperque  
necessariis cautelis abusum illius declinasti; reminiscor hoc  
loco effati SENECAE in *Ep. 100. Fabianus mihi non essun-  
dere videtur orationem, sed fundere:* quantum itaque pro  
vigore Mystarum & Concionatorum naturali militet,  
blanda, moderata, sedata ac placida orationis fusio, quan-  
tum vicissim sanitati præjudicet impetuosa, diffusa, con-  
fusa, vehemens, exorbitans & tumultuaria effusio, Tu  
æque condigne commonefecisti & indicasti: recte NA-  
ZIANZENUS in *orat. 1. de fuga in Pontum* elocutus est:  
*mibi res minime vulgaris, parvique spiritus esse videtur,  
verbi, perinde ac critici mensuram cuique tempestive dare,  
& dogmatum nostrorum veritatem cum judicio dispensare,  
dein etiam in enunciando & applicando modestiam observa-  
re:* Haud itaque silentio prætereundi, sed utique cele-  
brandi sunt honesti Tui conatus, dum non modo pera-  
liquot annos in Academia nostra egregia assiduitate ac  
constanti accuratoque ordine elegantioribus studiis ope-  
ram dedisti, proinde probo, modesto & honesto vitæ cur-  
riculo aliis innotuisti, sed & elegantem thesaurum scien-  
tiæ

tia in stadio & foro præc. medico collegisti, quem non modo sub crebriori sermocinatione cum Medicis in arte peritis, imo etiam in examinibus solemnibus ordini Medicorum probasti, ut nunc cum commendatione atque elogio privilegiis Doctoralibus instrui & ad ipsum opus Medicæ artis suscipiendum, qua meritis atque dignus emitti queas: quare de prospero eventu vitæ Tuæ Academicæ non modo propenso animi affectu gratulor, sed & promeritis præconiis memorabiles Tuas ac præclaras animi dotes exorno: & quamvis ipsemet voce & sermocinatione debilis compareas, re tamen atque opere Patriæ exoptatos & desideratos præbere & exhibere poteris in arte Medica effectus. Faxit Deus feliciter! Et hæc cælestis gratia, ad vota mea ingenua, reliqua singula Tua honesta instituta, prosperis ac exoptatis coronet successibus; dirigat impostero summus rerum humanarum Moderator omnes Tuas actiones, ut gloriam illius amplificent, proximique salubritatem promoveant, ita eveniet, ut alia desiderata temporalia bona atque dona ad divinæ providentiæ nutum Tibi adjicerentur: Fruere itaque hoc cælesti directorio pro votis omnium bene Tibi cupientium ac faventium & experire juxta Psalm. I. *quod beati ac benedicti omnia faciant prospere Vale. Dab.*

Halæ Magdeb. xiv. Kalend. Novembr. A. O. M.

CIO IOCCXXXIII.

VIR

V I R O  
NOBILI AC ERVDITO  
JOHANNI THEOPHILO  
HILDEBRAND

AD SVMMOS IN ARTE MEDICA  
HONORES CONTENDENTI  
S. D.

GEORG. CHRISTIANVS MATERNVS  
PANNONIVS,  
DOCTOR MEDICVS.

**D**Um auspicio fidere, medicorum cathedram in  
tanta eruditorum celebritate conscendis, tempo-  
ris in ALMA FRIDERICIANA bene transa-  
cti, publicam non minus, quam solennem, reddere stu-  
des rationem. Plaudunt singuli; & ego in primis TIBI  
congratulator, cum TE felicem non uno putem nomine.  
Primo enim arti praestantissimae atque diuinitus ortae TE  
totum, TUAque consecravisti studia: nam in discipli-  
nis, quae excellentissimis illustrium hominum ingeniis  
inventae ac incredibili summorum virorum industria per-  
fectae atque expositae sunt; ea sine controversia prin-  
ceps existimari debet, quae honestatis splendore, utilita-  
tis magnitudine, nec non iucunditatis laudibus reliquas  
omnes



omnes antecellit: eam vero medicinam esse, cui frenum  
hastenus dedisti operam, res ipsa loquitur. Quid?  
quod & boni quique, ut vere, ita & libere mecum pro-  
nunciabunt idem. Deinde cum MEDICUS quem ve-  
nerandus noster HIPPOCRATES ἰσοθεος quasi prædi-  
cat, iure quidem, salutaris discipias, non patriæ modo  
gloriam concilias, sed familiam quoque maiorum meri-  
tis claram haud mediocriter illustras ac omnium, quot-  
quot adsunt, civium in TE convertis oculos. Quam  
ob rem cum TIBI, tum patriæ iterum iterumque gra-  
tulator ex animo. TIBI, quod dulcissimæ patriæ benefi-  
ciis & amicorum consuetudine commode utendi paucos  
post dies, futura sit copia; patriæ, quod vitam, sicubi  
periclitaretur, viro tam exercitato, raro concedere, ci-  
vibus TVIS liceat. Vnum vero quod TE adhuc mo-  
neam, reliquum est. Quod si nimirum TIBI reduci  
non omnia ex animi sententia cedant, meminisse velis,  
TE ingressum esse patriam; commercium TIBI fore cum  
synchronis; commune hospitium cum civibus; perpe-  
tuam vero dimicationem cum invidia. Neque mirum:  
ampliori famæ semper inimica fuit virorum præsentia,  
& iustæ existimationi multum detrahit iugis conversatio  
frequensque convictus. Superstitis alias rarius placent  
scripta vel gesta, tamen optima. Post fata vero vive-  
re incipit hominum favor, & ipsa mors laudes inchoat,  
quoniam cum corpore moritur invidia. Vis ergo lau-  
dari domi? morere. Laudaberis vero, si TIBI met ac  
omnibus famæ illecebris penitus mortuus in id incubue-  
ris vnice, vt, posthabitis opiniosorum iudiciis, pura fide  
ac illibata conscientia DEO probari adnitaris. Hoc or-  
dine felicem exercebis praxin; cum fructu locabis ope-  
ram ac omnes denique superabis æmulos. Atque hoc

F 2.

quid.

quidquid est veritatis, eo processus sum liberius, quo  
magis certum est, christiani medici studia non ad priva-  
tas utilitates, sed ad totam rem publicam & ipsius DEI  
pertinere gloriam. Vale & amantem TVI pari amore  
complectere. Dabam Halæ die vi. Octob. anno  
C10 1000 XXXIII.

**Q**uas TIBI nunc laudes cantabo, Doctor Amice,  
Hoc decus, hoc nomen dicere vora juber.

Clerus enim studiis hæc ornamenta capeffis

Insignes Medici TE TVA facta probant.

Inde legis fructus & præmia grata laboris

Accipis, ast multo plura sequentur adhuc,

Hæc TVA læta dies adfert mihi gaudia summa,

Dulces hinc versus voce sonante cano:

Annos Nestoreos servet TE Numen in altis

Ut patria vivas, vivat ut ipsa diu

Consulat ergo TVIS cepris, qui cuncta tuerur

Omnia sic felix atque beatus ages.

Hocce gaudii atque amoris monumento, summi  
quibus in arte medica dignissimus exornaris  
honoribus, sincerissimo pectore applaudit  
TIBI deditissimus

IOH. CHR. HUBER.

Pifonio Hungarus.



01 A 6505

7

ULB Halle 3  
002 937 298




nur 10. Stck

7A-70C


bücher verknüpft

10/17









14

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
DE  
**FREQVENTI MYSTA  
RVM SERMOCINATIONE  
EGREGIO SANITATIS  
PRAESIDIO.**

AUSPICE <sup>Quam,</sup> DEO PROPITIO,  
*Et Consensu atque Auctoritate Gratiſſa Facultatis Medicae*  
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,  
P R A E S I D E

**DN. D. MICHAELE ALBERTI**  
SACR. MAJ. REG. BORUSS. AULICO ET CONSIST. MAGDEB. CON  
SILIARIO, MED. ET PHILOS. NATUR. PROFESSORE PUBL. ORDIN. ETC.  
DECANO H. T. SPECTATISSIMO,  
*Domino Patrono, Praeceptore ac Promotore suo omni honoris cultu prosequendo,*  
**PRO GRADU DOCTORIS**

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILE  
GIIS DOCTORALIBUS LEGITIME IMPETRANDIS,  
HORIS LOCOQUE CONSVETIS,  
ANNO MDCCLXXXIII. D. OCTOBR.  
PUBLICÆ AC PLACIDÆ ERUDITORUM VENTILATIONI SUBJICIET  
AVCTOR

**JOH. THEOPHILUS HILDEBRAND,**  
NIMICENSIS SILESIVS.

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
TYPIS JOH. CHRIST HENDELII, ACAD. TYPOGR.